

Excursion au Séminaire de Bonne-Espérance du jeudi 25 juin 1914 après-midi, dans les *Annales Cercle Archéol. Mons*, t. XLIII, 1914, pp. 18-19.

MEURISSE Paul-Clovis, *Visite de l'ancienne abbaye de Bonne-Espérance (20 avril 1922)*, dans les *Annales Cercle Archéol. de Binche*, t. II, 1923, pp. 5-6 (avec des dessins de l'abbé Biot).

Excursion du Cercle Archéologique à Bonne-Espérance, dans les *Annales Cercle Archéol. Mons*, t. XLVII, 1924, pp. 25-26.

A. MILET.

Bonne-Espérance.

De S. Gerlaco, eremita.

Abbates de Wittewierum, Emo et Menko, in suo celeberrimo Chronico (*Kronijken van Emo en Menko, abten van het klooster te Wittewierum*, uitgegeven door H. O. FEITH en G. ACKER STRATING, Werken van het Historisch Genootschap, Utrecht, n. s., n° 4, 1866, p. 127) dicunt in Neerlandia septentrionali plures eremitas extitisse ; « ingens multitudo » talium eremitarum aderat, ita notant, notitias referentes de anno 1234, hi duo abbates celebres Praemonstratenses viventes in Frisia.

Etiam in aliis regionibus tunc temporis eremitas non paucos floruisse omnibus compertum est. Inter eos, speciali modo celebris remansit B. Gerlacus, qui ad Ordinem nostrum pertinuisse fertur.

J. Chr. VAN DER STERRE, *Natales Sanctorum Candidissimi Ordinis Praemonstratensis*, Antverpiae, 1625, p. 30, ita scribit : « 5 Januarii. Nonis Januarii. In ditione Falcoburgensi Natalis Sancti Gerlaci Confessoris et Eremitae. Qui per austerae poenitentiae rigorem, in Candidissimo Praemonstratensis Ordinis amictu, beatum ibidem vitae finem sortitus, plurimis etiamnum miraculis gloriosus requiescit ».

Officium hujus S. Gerlaci quotannis in Ordine nostro celebratur, inde ab anno 1675 ; nostris diebus festum illud celebratur die 14 Januarii, additurque in Breviario, inscriptioni S. Gerlaci, attributum « O. N. », dum apud alios, v. gr. apud S. Godefridum (16 Januarii) additur : « O. N. Canonici ». Officium S. Gerlaci primo celebratum fertur in asceterio de Houthem (cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, p. 171) ; in quo loco fertur Gerlacum in quercu, et postea in cella vixisse. Idem officium assumptum

fuit in nonnullis dioecesisibus, uti Ruremundensi, Silvaeducensi et Leodiensi.

De Sancto isto Gerlaco non ita multa hucusque inquisita fuerunt scientifice. D. STRACKE, S. J., quaedam de hoc themate indagavit: *Uit het leven van den H. Gerlach*, in *Tijdschrift voor taal en letteren*, XV, 1927, 93 vv. Recenter autem C. DAMEN, O. S. B., rem totam maxima cum cura retractavit: *Studie over St. Gerlach van Houthem*, in *Publications de la Société historique et archéologique dans le Limbourg à Maestricht*, XCII-XCIII, 1956-1957, pp. 49-113. Cum vero iste auctor inquisierit ea quae ex documentis hauriri possunt accuratissime, cumque ex altera parte fata vitae S. Gerlaci, qua eremita, non parum momenti habeant pro ratione vivendi in primis decenniis Ordinis nostri, solutiones a C. Damen prolatae, solertem nostram attentionem plene merentur.

Exordium faciens a fontibus antiquis, non ita numerosis, scimus unicum exstare diploma antiquum in quo sermo fit de S. Gerlaco ; et quidem anni 1202. E quo diplomate clare liquet ipsum Gerlacum tunc jam esse defunctum, ipsumque vixisse in Houthem, ibidemque esse mortuum ac sepultum ; et tempore quo diploma confectum dicitur, uti sanctum in illo loco haberi.

Duae habentur antiquae biographiae ; altera quidem, multo recentior quam prima et undequaque a prima dependens ; ita ut *Vita Gerlaci* antiquior habenda sit pro unico fonte litterario antiquo.

Vita ista — ita Damen, accurato examine instituto — conscriptum fuit versus annos 1222-1228 a quodam Praemonstratensi, canonico degente in asceterio monialium Ordinis nostri in Houthem-Sancti-Gerlaci. Hujus Vitae antiquae vetus manuscriptum notum non est nostris diebus ; textus autem Vitae primo editus fuit curante E. Ghoye vel Ghoyaeo, praeposito asceterii de Houthem. Edita fuit ista « *Vita* » anno 1600 apud J. Ghely in Maastricht. Dici nequit an textus editus a Ghoye integre et perfecte conveniat cum textu primigenio manuscripti antiqui. Utrique parti « *Vitae* » — in *Vita* siquidem clare duae partes distingui debent — Ghoye prooemium quoddam adjunxit.

Textus iste — primo prooemio omisso — transsumptum fuit a J. BOLLANDO, S. J., in *Acta Sanctorum, Januarii*, I, Antverpiae 1643, 306-320.

« *Vita* » Gerlaci, uti nunc jacet, non unico tractu composita fuit. Operi ipsi jam composito, capita 10-16 postea adjuncta fuerunt.

C. Damen, ratione hujus compositionis ex omni parte solerter perpensa, conclusit haec capita 10-16 provenire ex eodem auctore ac capita alia ; ita ut tota *Vita Gerlaci* revera ab uno auctore profluxisse dicenda sit. Indicationes temporis quae in « Vita » occurrunt, ea quae de Summis Pontificibus et Imperatoribus, etc. dicuntur, revera cum factis historicis objectivis concordare dicenda sunt. Ita ut omnino censendum sit *Vitam* praebere nobis fontem historicum objectivum cui plene fidere possumus.

Fuse deinde C. Damen vitam Gerlaci secundum fontes antiquos dictos considerat. Non paucas rectificationes ac plures uberiores illustrationes hac ratione proponit quas in scriptis anterioribus de hac vita in vanum quaereremus.

Curriculum vitae Gerlaci ita succincte describi potest :

Ineunte saeculo duodecimo natus est Gerlacus ; uti videtur in Houthem. Divitiis multis ornatus, matrimonium inierat. Modo nimis liberiore vivens, de morte subitanea uxoris certus redditur (versus annum 1150). Hoc infaustissimo eventu fractus, poenitentiae sese dat et Romam petit. Apud Summum Pontificem Eugenium confessionem generalem instituit ; Summus Pontifex ei hac occasione injungit ut adeat civitatem Hierosolymitanam, ibique peregrinis per 7 annos inserviat. Romae postea redux (1157-1159), a Summo Pontifice Hadriano IV statutum particulare cum ratione vivendi obtinet, et redit ad regiones e quibus antea secesserat. Cum autem ratio vivendi specialis Gerlaci fideles non parum attraheret, monachi prioratus proximi de Meerssen (O. S. B.) sese ipsi opposuerunt, asserentes eremitam Gerlacum ex una parte vitam monachorum ducere, et ex altera parte ipsum libertatem suam quam a Summo Pontifice obtinuerat retinere ac strenue defendere. Accusatus est apud episcopum Leodiensem, Norbertum ; iste, examine instituto, acerrimus defensor fit Gerlaci ; ipsumque, pro curanda vita sua spiritali, committit abbati Rodensi (Kloosterrade, seu Rolduc).

Tandem, ex relatione « *Vitae* » novimus Gerlacum, in fine vitae suae, relationes epistolares habuisse cum S. Hildegardi a Bingen († 1179) : quae, in testimonium venerationis, ipsi Gerlaco transmittit coronam, quam gesserat inde a die qua virginitatem suam solemniter Deo consecraverat.

Gerlacus sanctam mortem obiit die 5 Januarii anni 1164 vel 1165.

Gerlacus dicitur ad Ordinem Praemonstratensem pertinuisse :

Estne hoc verum ? Potestne hoc assertum probari e contento « *Vitae* » ?

Supra jam transscripsimus assertum abbatis Van de Sterre, qui tanquam unicum argumentum aggregationis Gerlaci Ordini nostro affert, ipsum « candicum habitum » gessisse.

Profecto, omni dubio seposito, dicendum est tale argumentum parum vel nihil valere. Similitudo externa vestis enim nihil aliud ex sese probat nisi ét Gerlacum ét Praemonstratenses assecclas esse vitae « apostolicae » ejusdem epochae, et proinde vestiri lana non tincta, et pauperrima.

Mirum quidem est episcopum Leodiensem apud quem Gerlacus accusatus fuit de ratione vivendi minus recta, « Norbertum » dici. Patet autem eo tempore (cfr. DAMEN, l. c., p. 72 s.) nullum episcopum talis nominis Leodii dari. Et si olim existentia talis episcopi « Norberti » Leodii probari posset, manifestum est nullo modo hic agi posse de S. Norberto, fundatore Ordinis Praemonstratensis. Rectissime jam scribebat BOLLANDUS, *Acta Sanctorum, Jan.*, I, p. 309: « Hunc autem Norbertum Leodiensem Episcopum quidam non bene putant esse S. Norbertum, Praemonstratensis Ordinis iniciatorem. Isti in aequivoco falluntur ; quia B. Norbertus Magdeburgensis Archiepiscopus, qui Religionem Praemonstratensem fundavit, tempore Lotharii Imperatoris migravit ad Dominum ; Beatus vero Gerlacus, sicut Bulla quam a Roma detulit testatur, ab Adriano Papa remissus est ; qui scilicet Adrianus Papa, ut historiae testantur, longo tempore, et post Lotharii discessum intervallo, Fredericum I in Romanorum Imperatorem consecravit ».

C. Damen quaestionem de aggregatione Gerlaci Ordini nostro exponit pp. 75-77. Et omnino negative solvit ; argumenta ipsius nobis decisiva videntur. Verum quidem est ultimis saeculis generatim in Ordine nostro dictum esse Gerlacum fuisse Praemonstratensem. Argumenta valida pro tali asserto in vanum quaeruntur ; e contra rationes validissimae contrarium innuunt. Siquidem : Gerlacus apud Hadrianum asserit se nulli societati religiosae esse conjunctum : S. Pontifex hoc approbat et statutum speciale pro ipso confecisse dicitur. Ob eandem rationem Gerlacus se non vult aggregare prioratui benedictino de Meerssen ; haec ejus ratio agendi probatur ab episcopo Leodiensi ; et quidem idem episcopus Gerlacum remittit abbati de Kloosterrade ut iste curam agat de ejus vita spirituali. Quomodo talia explicari possent, si Gerlacus vi professionis aut aggregationis canonicae cujusdam ad Ordinem Praemonstratensem

pertinuisset ? Quod majus est, auctor « *Vitae Gerlaci* » erat Praemonstratensis ; cur iste non explicitè scripsisset Gerlacum ad Ordinem suum pertinuisse, si de hac re persuasus fuisset ?

De tali aggregatione autem ne verbum quidem in « *Vita* » deprehenditur. Mentio de « habitu candidissimo » nihil probat pro tali aggregatione. Constat enim versus initium saeculi duodecimi in variis regionibus Europae « vitam apostolicam » refluere, quae erat vita abnegationis et paupertatis communis, meditationibus et orationibus dedita. Vestis horum « conversorum » generatim erat vestis laneae non tinctae. Merito ergo scribit C. DAMEN, l. c., p. 76 : « Dici possit Gerlacum vestitum non fuisse uti Praemonstratenses, sed potius Praemonstratenses vestitos fuisse uti Gerlacus ». Eo quod ét Gerlacus, ét Praemonstratenses, licet alia ratione et alia sub jurisdictione, ad eandem « reformationem » et « conversionem » vitae christianae eadem ferme aetate in Ecclesia pertinebant.

Tandem in Appendice, C. Damen, paucis notis introductoriiis praemissis, varia publicat de « *Vitis* » S. Gerlaci (non ea quae habetur in *Actis Sanctorum*, Jan. I) : in specie publicatur « *Vita Gerlaci* » olim edita a Joh. GIELEMANS ; *Leben des H. Gerlaci*, asservata Treviris et proveniens a Steinfeld, anni 1622, cujus titulus ita sonat : *Leben des H. Gerlaci, E..., Praemonstratenser Ordens* ; exhibentur textus liturgici de S. Gerlaco, prouti adhiberi solent in dioecesi Ruremundana et in Ordine Praemonstratensi.

In hoc opusculo S. DAMEN de S. Gerlaco tali modo scripsit ut expositio ista ex omni parte laudanda sit summopere. Et impossibile videatur aliquid positivi aut objectivi ipsius conclusionibus addere, prae oculis habito statu hodierno inquisitionis scientificae de hoc themate.

Suntne ergo omnes tenebrae dissolutae ? Quis tale quid affirmare auderet in materia pro qua fontes antiqui tam rari remanent ? Tria, nostro iudicio, examen profundius requirerent. Scilicet :

1. *Vita* scripta fuit versus a. 1200 ; post impressum textum c. a. 1600, manuscriptum deperditum dicitur. Ea quae nunc in illa *Vita* impressa sunt, quadrant cum iis quae aliunde historice constant ; sed an manuscriptum immutatum remansit inter a. 1200 et 1600 ? Inter tempus compositi et impressi textus ? Huic quaestioni profecto nemo nunc respondere potest, deficientibus fontibus. Sed nec a priori quaestio soluta dici potest.

2. De « eremitis » in regionibus nostris eo tempore non ita multa examinata fuerunt. Vita et ratio vivendi Gerlaci clarius appareret si ambiens illud historico-religiosum in pleniorum lucem proponi posset.

3. Non videtur adhuc sustineri posse Gerlacum hunc revera ad Ordinem Praemonstratensem pertinuisse. Inquiri autem utiliter posset ac deberet quatenus fuerint vera « argumenta » ob quae Gerlacus iste annumerari potuerit « Sanctis » Praemonstratensibus et ob quae officium ejus liturgicum introductum fuerit in Ordine. Et quandonam et ubi episcopus Leodiensis qui Gerlacum, protectionis spiritualis gratia ad abbatem de Kloosterde transmissit, nominari coeptus fuerit « Norbertus » ?

His quaestionibus respondere apprimè difficillimum foret, ne dicamus impossibile. Attamen, remanentibus obscuritatibus istis, « quaestio » S. Gerlaci aegre uti plene soluta, nostro iudicio, haberi posset.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

Philibert Duval, prémontré, guillotiné à Lyon, le 28 janvier 1794.

Parmi les « praemonstratensia » multiples rassemblés par feu notre confrère d'Averbode, R. BOSCHMANS (décédé à Paris, le 19 avril 1948), nous avons trouvé des lettres qui nous donnent des indications très intéressantes sur la vie et la mort d'un témoin de la foi, Philibert Duval, chanoine de l'abbaye de Lieu-Dieu-en-Jard. Voici, à ce propos, une lettre de M. l'abbé Bonnefoy, datée du 10 juin 1935. M. Bonnefoy était à ce moment curé à Chirassemont (Loire) ; mais il fut auparavant vicaire, pendant 18 ans, à Amplepuis, où Phil. Duval fut jadis curé. A Amplepuis, M. l'abbé Bonnefoy eut l'occasion d'étudier le cas si intéressant de Phil. Duval, et publia sur lui plusieurs articles dans le bulletin paroissial de cet endroit. M. Bonnefoy fut aussi convoqué à Lyon pour le procès d'information de la « cause » de Phil. Duval et compagnons.

Dans sa lettre, M. Bonnefoy nous donne, en résumé, ce qu'il avait pu trouver au sujet de Duval. En voici la teneur : « Fils d'un banquier de Paris où il naquit sans doute vers 1750 (quand il fut guillotiné à Lyon, le 28 janvier 1794, il avait 43 ou 44 ans), Philibert fut d'abord curé dans le Poitou ou la Saintonge, puis chanoine régulier de l'Ordre de Prémontré. Forcé de se séculariser à la Révolution, il participa dans une large mesure au partage du patrimoine